
TOTIUS OPERIS ARGUMENTUM

AD LECTOREM.

Cum meam in scribendo rationem (christiane lector) ex cæteris libris, quos edidi, perspectam habeas, nihil habeo novum, quod nunc te de nostro disputandi modo in hoc opere admoneam. Solum, quia hic liber, quamvis sit tertius commentariorum in tertiam D. Thomæ partem, est tamen primus de sacramentis, seu in quartum librum Magistri sententiarum, quem in animo est ad finem usque persequi, placuit generalem quamdam distributionem reliquorum etiam librorum, qui de hac re (adjuvante Deo) a nobis edentur, exponere. Totam enim hanc de sacramentis disputationem in tres libros dividimus, tum ut singula volumina sint moderatæ, atque æquabilis prope magnitudinis; tum præsertim, ut cum natura, atque institutione eorum, quam maxime conveniret ipsa partitio. Nam sacramenta, alia sunt, quæ ad communitatem; alia, quæ ad singulos homines pertinent; et rursus, ex iis quædam ad communem originis labem auferendam, et ad spiritualem vitam conferendam, vel conservandam; alia vero ad propria hominum peccata remittenda, instituta sunt. Unde fit, ut commo- dissima videatur eorum tripartita divisio. Ea igitur, quæ ad singulorum utili- tatem per se conferunt et necessaria sunt, etiam sine occasione peccati propria voluntate committi, ut baptismus, confirmatio, Eucharistia, primum hunc librum sibi vendicabunt; quæ vero ad proprium cujusque morbum, ejusve reliquias depellendas, cujusmodi est pœnitentia, atque extrema unctio, in secundum conferentur; in quo etiam (ne ea, quæ sunt cum pœnitentia conjuncta, disjungamus) de indulgentiis, purgatorio, et suffragiis agendum erit; hæc enim omnia ad pœnarum remissionem juvant. Porro de censuris etiam omnibus, propter potestatem clavium, cujus actus est sacerdotis absolutio, in eodem libro disserendum erit. Postremo denique libro ea comprehendemus, quæ ad universæ Ecclesiæ corpus atinent, Ordinis, scilicet, et matrimonii sacramenta. Nam reliqua, quæ in extrema parte quarti disputari solent, ut de novissimis, etc., de industria, ut ea nos cura liberaremus, in superiori volumine, quantum visum est, expedivimus. Principio autem, quoniam multa sunt omnibus sacramentis communia, exemplum Div. Thomæ, atque aliorum Theologorum secuti, disputa- bimus de sacramentis in genere, quo clarius, et brevius res ipsa tota com- prehendatur. Adjunximus tandem ad extremam hujus voluminis partem longam disputationem de sacrificio; non quia ratio sacrificii, et sacramenti diversæ

TOTIUS OPERIS ARGUMENTUM AD LECTOREM.

XI

non sint, sed quia in lege gratiæ ita conjunctæ sunt in admirabili Eucharistiæ mysterio, ut altera sine altera commode explicari non possit. Accedit etiam, quod cum in Ecclesia non sit sacrificiorum multitudo, sicut est sacramentorum, unus hic locus visus est ad hoc unum sacrificium declarandum aptissimus. De cætero, quoniam ea, de quibus acturi sumus, partim speculativa, partim moralia sunt, quorum alia aliis, vel jucunda sunt, vel utilia, ita ea partiti sumus, ut illa priora prius, et posteriora posterius, separatim, in singulis rerum generibus et sacramentis explicemus, ut facilius quisque possit, quæ sibi aptiora videbuntur, eligere. Atque hanc methodum in reliquis duobus libris tenebimus, quos propediem tibi (studiose lector) nos daturus speramus; quippe a quotidianis scholis, docendique curis, quibus adhuc districti fuimus, expeditos, nihil est jam (Deo auspice) quod retardet; quod autem incitet, adest alacris de omnibus bene merendi voluntas; quæ, ut spero, non remittetur ullis, vel laboribus, vel molestiis, vel vigiliis, quoad valetudo, ac vita suppeditaverit. Tu vero interea hoc fruire, dum cætera tibi paramus, et studio legendi, studium nobis auge scribendi, atque ut lectio tua et scriptio nostra in laudem ac gloriam Dei cedat obsecra. Vale.

